

§. 1. Ita judicat Watsonius *Synops. pag. 475.* his verbis: *Abdias Trem infidus hâc in parte Physica Aristot. scriptor cap. ult. Th. 5. duas Sophisticationes loco exactissimarum demonstrationum pro principatu cerebri adducit, &c.* Bona verba Watsoni pono, errorem latere in argumentis, cur statim ego infidus scriptor, aut cur statim Sophismata vel Sophisticationes, ut tu vocas? quem decipiendi conatum in scriptis meis unquam vel suspicando odorari potuisti? sed videatur *Physica mea Aristotelica pag. 228.* Ubi quia satis clare docui vim & nervum horum argumentorum, in quo consistat, & quibus ex fundamentis demonstrationum nomen mereri existimem? Actum hîc non ago. Sed, ut dixi, aliter videtur Watsonio, loco citato. In primo negat minorem, *Resp. inquit, cerebro nulla inest subtilitas, non ratione visus, quia non est pellucidum, nec ratione tactus; est enim crassus frigidus & condensatus humor, &c.* Sed I. si dicerem, me per cerebrum vivi hominis intelligere totam massam cerebralem, ut ita dicam, constantem non tantum ex humore, sed vel præcipuè ex spiritibus omnium subtilissimis, quid haberet quod reprehenderet? II. Si maximè de substantia cerebri quatenus in sensum visus & tactus cadit, agatur; Dico tamen Watsonii responsionem ejusq; rationem involvere multos defectus. I. involvit fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Multa dari cerebro subtiliora non nego, est tamen ipsum quoque subtile respectu partium solidiorum. Cum enim humor sit, [dicente Watsonio] certè subtilior est partibus solidioribus ad terræ naturam propius accedentibus, videlicet, carne, cute, &c. spiritibus etiam, quod maximè hîc quæritur, magis pervium. II. Facit Syllogismum affirmativum in secunda figura, aut, ut mitius agam, pro reciprocis habet, quæ reciproca non sunt. Adeoque fallaciam consequentis committit. Omnia pellucida aliquo saltem modo subtilia esse non facile negaverim; at omnia subtilia continuo pellucida esse, dediscere potuit Watsonius ex *Scaligero*, qui *primâ* statim *exercitatione* subtile deducit à filis subtilibus, quæ sanè pellucida non sunt. III. Iterum fallaciam consequentis committit ejus speciei, quam nonnulli Elenchum oppositorum vocant, eamque geminam; dum subtili opponit & frigidum & compactum, frigidum prorsus *ἑτερογενές* 7i est, ad compactum quod attinet, certè telæ à filis subtilibus contextæ subtilitati nihil deccedit vel accedit, quantumvis vel laxè vel arctè fila sint contexta atq; compacta; modo partes, hoc est, fila, subtilia sint. Hæc de primo argumento.